

Lutheri trahebat sententiam. Sed abruptum nobis, quia hora confabulandi jam effluxit.

## Colloquium XVIII<sup>um</sup>.

*De sequelis harum rerum.*

PETRUS et OTTO.

*P.* Quid rei postea, aucto civium Augustæ Evangelicorum numero, evenit? *O.* Crescente cœtu Evangelico puriorisque doctrinæ, constituebantur quoque hujus religionis concionatores, sed nonnulli Monachorum hoc ægre ferentes sibi ipsi consulentes emigrabant urbe. *P.* Quinam erant isti, cujusque ordinis? *O.* Primi erant Carmelitæ, qui relicto cœnobio suo, hoc, simulque ecclesiam ad Divam Annam tradebant magistratui, ejusque potestati relinquebant; horum exemplum postea etiam Franciscani Minori-